



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

CIX. Heidenreich von Trebbin, Castellan zu Blankensee, verkauft dem
Kloster Lehnin einen Wald in der Nähe von Stangenhagen, am 4. August
1317.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

rum protenduntur termini a ponte oppidi werdere vsque ad villam paretz et vsque ad villam sehorin, in quibus aquis duo sunt obstagia, que vulgariter dicuntur Were, que specialiter ecclesie prenotate pertinebunt, et in his aquis piscari volentibus tantummodo cum minimis retibus, que Puerde et vloch vulgariter dicuntur, conceditur, sicut presens et communiter modus piscandi ab antiquo observatur, debet ab omnibus deinceps obseruari. Prenominata etiam quadraginta quatuor Talenta Brandenb. denariorum Ecclesia in Lenin cum libertate, vtilitate, fructu, et generaliter cum omni iure et dictas aquas et stagna cum omni commodo et honore, iusto proprietatis titulo possidebit temporibus sempiternis pacifice et quiete. Abrenunciantes Juribus, fructibus et proprietati et generaliter omnibus, que nobis ex nunc competunt aut nobis et nostris successoribus aut heredibus, si quos Domino disponente procreauerimus, in futuro competere possent, voce expressa, in aquis et stagnis supra scriptis. Presentibus Patribus Venerabilibus, Domino Johanne Brandenburgensis et Domino Stephano Lubucensis Ecclesiarum Episcopis, magnifico Domino Rudolpho Duce Saxonie, Friderico de Alvensleue, Conrado de Redere, Ottone de Schenkendorp, Johanne de Crochere, militibus, Domino Johanne Gorlicensi, Domino Segero Stendaliensi, Domino Nicolao Bernowenfi, Domino Euerhardo Stolpenfi, nostro protonotario, Ecclesiarum Prepositis, Capellanis nostris dilectis, cum aliis pluribus fide dignis. Vt autem predictae proprietatis donatio perpetuo salua consistat, presentibus nostrum sigillum duximus apponendum. Actum et Datum Spandow, anno Domini Millesimo trecentesimo XVII, Nonas Aprilis.

Nach dem Lehniner Copialbuche des Geh. Ministerial-Archives. Gercken's Verm. Abh. I, 181. Klöders Waldemar II, 240. 261. Vgl. L. v. Ledebur Archiv VII, 174.

CIX. Heidenreich von Trebbin, Castellan zu Blankensee, verkauft dem Kloster Lehnin einen Wald in der Nähe von Stangenhagen, am 4. August 1317.

Quoniam status mortalium indefinenter ad ulteriora descendit, ea, que inter mortales ordinantur, iuste scriptis annotantur, vt, si contra rem gestam prauorum aliquando confurgat inuidia, rei ueritatem expressa litterarum testentur elogia. Nos igitur heydenricus de Trebyn, Castellanus de Blankense, vniuersis tam presentibus quam futuris has litteras visuris notum esse volumus, quod viris religiosis domino Theoderico, dicto de Hartstorp, Abbati Lenynensi, totique conuentui eiusdem cenobii nemus totum cum fundo seu ligna omnia a terminis lignorum curie Stangenhayn, hogehorst dictis, usque ad aggerem videlicet Strazdam se extendentia seu protendentia ac deinde aggerem ipsum Strazdam cum lignis omnibus a parte vna per longum usque ad fossatum diuidens et distingvens terminos dominorum seu fratrum de Cynna, pro decem et nouem marcis argenti Brandenburgensis rite et rationabiliter vendidimus, cum omni iure et iurisdictione, cum omni fructu et vtilitate hereditarie, quiete et pacifice perpetuis temporibus possidenda. Ne autem hoc factum tam rationabile cuiuspiam audeat infirmare temeritas, nostri sigilli appensione presentem paginam roboramus. Testes huius rei sunt: Dominus Gyfo, miles, dictus de Stycker, Wolteco et arnoldus filii eiusdem, Hennyngus de zuchwiz, Johannes rorebeke, hermannus scultetus de blankense, Frater Johannes de deffowe cellerarius dicte domus Lenynensis, frater henricus de castel, frater Johannes de Baruth

et alii quam plures fide digni. Datum in Stangenhayn Anno domini M^o. CCC^o. XVII^o., in die sancti Dominici confessoris.

Nach dem Original des Geh. Staats-Archives.

CX. Markgraf Woldemar bestätigt die von seinem Trugseß Sloteko vorgenommene Schenkung des Ortes Werder an das Kloster Lehnin und bestätigt diesem die Fischerei in den Gewässern der Markgräfin Kunigunde, am 26. August 1317.

In nomine domini amen. Woldemarus, dei gracia Brandenburgensis et Lusacie Marchio, omnibus presentem litteram inspecturis in salutis auctore salutem. Cum omnis actus et opus quodlibet, quod ad futuram posteritatem porrigitur, necesse sit summopere privilegiorum auctoritate et rationis discretione roborari, Ideoque ad cautelam futuri temporis notum fieri volumus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod vir strenuus Sloteko, dapifer noster dilectus, cum vniuersi consensu suorum fratrum, videlicet Richardi et Zabelli militum atque heredum suorum, vendidit iusto venditionis contractu Religiosis viris domino Abbati atque fratribus vniuersis presentibus et futuris Monasterii Leninensis Opidum, Werder dictum, cum quadraginta sex mansis in pheodatis adiacentibus, versus partem, que Zucha vocatur, sitis et cum septem fructus liberis, videlicet de thelonæo, quod vulgarijter uischtol dicitur, prouenientibus et cum quatuor fructus et dimidio in censu arearum opidi eiusdem et in censu minutarum piscationum, que vulgarijter Alrepe et Were nuncupantur, cum omni precaria, cum omni seruitio reali et personali, cum Iudicio summo et ymo, cum jure patronatus, cum omni commodo, fructu et vtilitate, cum terris cultis et incultis, areis, pratis, pascuis, lignis, piscationibus, aquis, molendinis, cum omni Jure et libertate. Cum igitur nostri regiminis exigat auctoritas, ut ea, que tam rationabiliter gesta sunt, per nos debeant merito approbari et approbata confirmari, Recepta resignatione libera dicti Slothekonis et suorum fratrum bonorum omnium predictorum ad manus dicti Abbatis et fratrum de lenyn cum renunciatione omnis juris, quod habuerunt in eisdem bonis, de libera nostra voluntate ad honorem omnipotentis dei et gloriose virginis marie et ad petitionem dicti Slothekonis dedimus et per presentes litteras donamus predicto domino Abbati et fratribus de Lenyn vniuersis presentibus et futuris proprietatem predicti opidi predictorumque omnium ad ipsum attinentium tam hic nominatorum, quam eciam eorum, de quibus specialis mentio facienda esset, cum omni libertate, vtilitate et jure et cum omnibus suis limitibus et distinctionibus perpetuo proprietatis tytulo pacifice sine omni onere aduocacie vel alterius grauaminis cum omni precaria et omni seruitio et alio quocunque integraliter possidenda. Renunciamus quoque solempniter et expresse per presentes litteras premissis omnibus et eorum cuilibet ac proprietati eorundem, nec non omni juri, si quod nobis aut nostris heredibus et successoribus possit ex quacunque causa competere vel accedere in futuro. Pro premissis omnibus dicti Abbas et fratres de lenyn predicto Slothekino et suis fratribus de nostro iussu et mandato expresse dederunt et complete persoluerunt ducentas marcas et quadraginta quatuor marcas Argenti Brandenburgensis et ponderis minus uno fertone in numerata pecunia, de quibus ipsum Abbatem et fratres presentes et futuros quitos tenore presentium publice nunciamus, Innouantes eciam et adicientes, quod nec nos, nec aliquis heredum nostrorum vel successorum, nec aliquis nostro nomine in Aquis predictorum Abbatis et fratrum de Lenyn, quas illustris domi-